ORLANDI (Petrus)

73175
F.xvii

De variolarum refellenda inoculatione dissertatio

[1791]

Prodiit Romae 1789.
Desumta est ex J. J. Roemer Delectu Opusc. Vol. I Turici et Lipsiae 1791.

7317

PETRI ORLANDI ROMANI

PHILOSOPHIÆ, AC MEDICINÆ DOCTORIS

DE VARIOLARUM REFELLENDA INOCULATIONE DISSERTATIO.

Peſſimum remedii genus ſanitatem debere morbo.

Seneca in Epiſt.

DE VARIOLARUM

REFELLENDA INOCULATIONE

DISSERTATIO.

§. I. Res ſane ardua, atque difficilis, ne dicam temeraria hiſce præſertim temporibus contra inoculandi conſuetudinem aliquid non ſolum perquirere, ſed publici juris facere, dum univerſus pene terrarum orbis ad promovendam, fovendamque variolarum inoculationem deſcendit, & ad communem methodum unanimi fere conſenſu ſe adjunxit medicorum caterva. Inſtitutæ jam ſunt variis in Europæ locis ſocietates, fundatæ academiæ, uti etiam noſocomia ad hoc tantum erecta, ut variolarum inſitioni inſerviant. Romæ quoque fuere, qui aſſerere non dubitarunt, atque pro certo habuerunt, quod ſi in Urbe ſocietas fundata eſſet, ut ſtatuta fuit *à Cheſter* in Anglia, exitialis variolarum epidemia labentis anni 1783. tam pernicioſa, atque lethalis futura non fuiſſet romanis pueris.

§. II. Quam variæ, ac multiplices ſint paucis abhinc annis doctiſſimorum medicorum inſitioni variolarum vindiciæ, quot fautores, quamque diſcrepantes ſententiæ, atque præcepta neminem latet. Sat nobis erit tantum in noſtra hac medico-practica elucubratione in medium proferre, atque inanes fautorum refellere ſenſus, reprimere conatus, ac valde imaginaria oſtendere beneficia illa, quæ a variolarum inoculatione inſulsè exponant advenientia. Amor generi humano juvamen afferendi mihi auctor fuit ad pauca adnotanda, atque illas comprobandas obſervationes a doctiſſimis, graviſſimiſque in arte viris perpatratas, a fidelibus deſumpta obſervationibus, quæ in variolarum graſſantium epidemia æſtate præſertim anni 1783. fuerunt a nobis adnotata. Quare cum Catholicæ Eccleſiæ eximio Doctore Auguſtino dicam: *Nullus reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis* [1].

§. III. Inoculandi uſus, ut omnibus innoteſcit, a ſinenſibus fœminis primum inventus, atque inſtitutus, dein a Circaſſiæ populis acceptus, ad Turcas a quadam vetula theſſala Conſtantinopolim tranſlatus anno 1673. Per Aſiam dein, Græciam, & Angliam regnante Georgio I. & ex Anglia in Americam, & ex America denuo in Angliam oberravit, quo tempore variis obnoxius fuit viciſſitudinibus. *Emmanuel Tironi* medicus Conſtantinopolitanus anno 1713. participem fecit

[1] Lib. II. de Trinitate in Proem.

Wooduard facultatis Lundinenſis Medicum : in Galliam autem pervenit, & a *De la Condamine* plurimum promotus per alias regiones diſſeminatus, ad noſtram tandem appulit Italiam, adeout anno 1721. in univerſa fere Europa ſedem ſuam ſtatuerit, atque fundaverit : anno autem 1768. *F. Mathias Verdugo* S. Joannis de Deo Medicus Cilenſis in Cile Americæ meridionalis provincia inoculandi uſum introduxit [2].

§. IV. Hujus inoculandi licentia a multis italis Medicinæ Doctoribus fuit accepta (a doctiſſimis autem, atque ſagacibus Bononiæ Medicis numquam quocumque tempore, & præſertim in ultima ſæviſſima epidemica variolarum conſtitutione in præfata Urbe graſſante, approbata, aut recepta) tamquam generi humano utiliſſima non ſolum, ſed etiam vehementer neceſſaria multis argumentis defenſa, atque plurimum propagata ; rejecta nihilominus ab aliis tamquam pernicioſiſſima, atque fallaciſſima : per DEUM tamen illicitam eſſe demonſtravit Antonius *De Haen* [3]. Idcirco diverſis temporibus, tam apud Italos, quam tranſalpinos Medicos potentiſſima, ac celeberrima medica diſquiſitio multoties agitata, lippis, atque tonſoribus notiſſima, ſuborta eſt. Poſtremis temporibus nempe anno 1778. opuſculum doctiſſimi Baronis *Dimſdale* [4] Catharinæ II. Ruſſorum Imperatricis archiatris typis

[2] Molina Storia Naturale del Chili.

[3] Quæſtion. ſup. inoculat. §. 1.

[4] Oſſervazioni ſull'introduzione d'un ſtabilimento generale per l'inoculazione.

apparuit, in quo deprehendebatur quamdam Lugduni inſtitutam eſſe ſocietatem, quæ intenta erat ſolummodo ad promovendam generalem inoculationem in populo, donec, ut conſocii ajebant, per hanc morbi rudimenta forſan dein paulatim deſtruerentur, finiſque huic exitiali, atque contagioſæ infirmitati imponeretur. Quapropter novi academici ad præfatum *Dimſdale* ſcripſerunt, miſeruntque ad eum planum, à prædicta ſocietate perpenſum, ut eorum in ſententiam iret ac illi eodem tempore vice-præfecturam obtulerunt. Idem, hoc ſiſtemate lecto, diverſas prævidens difficultates, ſe excuſatum haberi poſtulavit, dicens, hanc dignitatem minime fore accepturum, donec majora obſtacula, ſimulque difficultates, quæ ſe ſibi offerebant, explanatæ non forent, eodemque tempore eos conſuluit, ut antequam in populo contagioſus excitaretur morbus, atque variolarum naturalium commoveretur epidemia, facultas medica conſulenda, atque ulterius impetranda eſſet magiſtratuum adprobatio. Hoc audito, præfata ſocietas illico opuſculum edidit [5], cui reſpondit citatus *Dimſdale* [6], & eidem aliud apparuit Doctoris *Watkinſon* [7], qui aſſerere non dubitavit inoculatas variolas non eſſe contagioſas, uti naturales, aut ad ſummum ſolo contactu com-

[5] Piano di amminiſtrazione per una generale inoculazione.

[6] Penſieri ſopra l'inoculazione generale, e particolare.

[7] Eſame delle obbiezzioni fatte contro l'inoculazione de' De Haen, Raſt, Dimſdale, ed altri.

municari. Refert idem *Dimſdale* exemplum civitatis, ubi brevi hebdomadæ unius ſpatio, licet cum favorabili eventu, ex omni perſonarum ætate, atque ſexu undecim millia fuerunt inoculata. At ſicut nonnulli de pernicioſo potius inoculationis uſu præventi, ſe huic incommodo, atque vitæ periculo ſubjicere noluerunt; ex contagio ab inoculatione nato biſcentum quinquaginta naturales variolæ ſubortæ ſunt, ex quibus ſeptuaginta, qui affecti fuerunt, cito interierunt. Idem pariter multorum, qui ab inoculatis, licet optimæ qualitatis, contagium ſuſceperunt, alia quamplurima afferebat exempla, quibus confluentes, ac ſummopere periculoſæ variolæ apparuerunt.

§. V. Innumerabiles propè controverſias multis ab hinc annis hucuſque variis temporibus in lucem editas, ſedulo, attenteque perlegi, ac ponderare incœpi, & poſtquam omnis contradictionis ſpiritus ſanè expers fui, medicam praxim tantæ feci diſquiſitionis judicem in variolarum præſertim epidemicis conſtitutionibus annis 1772. 1775. 1783.* Romæ accerrime graſſantibus. Ex fidelibus tandem obſervationibus hiſce annis a me peractis omni jure collegi inoculandi uſum eſſe prorſus periculoſum, atque omnino fallacem, ut infra fortiſſimis rationibus, ac argumentis dicturus.

§. VI. Abſurdum eſt corpus humanum in perfectam ſanè valetudinem conſtitutum liberandi

* Idem obſervavimus in præſenti epidemia currentis anni 1788.

gratia a labe variioloſa, aut valde longinqua, aut numquam naſcitura, variolarum inoculationi per ſe ſatis permoleſtæ, & interdum, ut ab experientia edoctus non ſemel fui, lethali, variis modis, ut a multis medicis fieri ſolet, ſubjacere. *Durum mihi videtur*, ait *Van-Swieten*[9], *morbum excitare in homine, qui periculo non caret, & quo forte, vel numquam, vel ſaltem tardius laboraſſet.* At forſan medicus eſſe non deberet naturæ aſſecla, miniſter, atque fidelis interpres, & nequaquam perfectam naturalem hominum conſtitutionem per morbos in ſe numquam exiſtentes prævenire? *Medicus*, inquit *Baglivius*[10], *naturæ miniſter, & interpres, quidquid meditetur, & faciat, ſi naturæ non obtemperat; naturæ non imperat.* Sed ſæpenumero fruſtraneus eſt eorum conatus, atque tentamen. *Natura enim repugnante*, ſcripſit *Hippocrates*[11], *irrita omnia ſunt.* Cui aſſentitur *Cornelius Celſus*[12], & *Baglivius*[13] aſſeruit: *naturam eſſe ſui juris. Natura enim*, ait *Barbette*, *ducenda, non cogenda, omnia ſponte fluant, abſit violentia rebus*[14]. Morbi namque virulentia non a contagioſa inſitiva prophylaxi pendet ſolum, verum etiam à quadam peculiari diſpoſitione corporis inoculandi.

[9] In Boerhaav. § 1403.
[10] Prax. Medic. lib. I. Cap. I. §. I.
[11] Lib I. de Lege. n 2.
[12] Lib. III. Cap. I.
[13] Loc. cit §. X
[14] De Febrib. num. 7.

§. VII. Multoties obſervatum fuit a ſummis in arte viris varioloſum benignum icorem mites, atque benignas produxiſſe variolas, & interdum confluentes cum ſubjecti inoculati interitu. Quid afferat, quæque ſymptomata producat pus contagioſum in animato corpore graphice deſcripſit celeberrimus *Boerhaavius*[15] dicens "Robuſtiſſimi agricolæ ſaniſſimo ſanguini pus de papula Variolæ, particula vix conſpicua, apicæ aciculæ infigatur, quis mortalium credat; en febrim omnino ſingularem, ſui ſemper genii tenacem, ſuo definitam tempore, propriis ſtipatam ſymptomatibus: mox erumpentes admiraris papulas, certæ formæ, naturæque intra determinatum tempus in abſceſſus purulentos, qui degenerant, quorum tanta ſæpe glomeratur frequentia undique, ut omnis fere ſanguis efficacia mali, in malignum pus converſus ſit, *totumque aliquando corpus peſſundet*; atque minima rurſus particula virus idem generet, ſanumque corpus valet inficere ſimillimo contagio". Sæpe ſæpius obſervatum utique fuit, inoculationem variolas non produxiſſe, ſed interdum eryſipelata, paraliſes, ophtalmias, ſerpigenes, ſpaſmos, violentas, atque pertinaces convulſiones, tumores, furunculos, gangrænas, ſphacelos, uteri emorrhagias, miliarias febres, aliaſque multas lethales morboſas affectiones. Caſus narrat doctiſſimus *Van-Swieten*[16], qui recenſetur a celebri

[15] In Præf. ad morbos Aphrodiſiacos.
[16] In Boerhaave §. 1403.

Kirckpatrick inſitionis variolarum patrocinatore, cujuſdam pueri, cui intra tertium, & quartum ætatis annum contagium varioloſum per inoculationem applicatum fuit, ſequutas eſſe convulſiones cum perexigua variolarum eruptione, & licet variolæ ordinarium curſum abſolviſſent, ut narrat idem *Kirckpatrick*, nihilominus loquelæ uſum perdidiſſe una cum articulorum motu, adeo ut ne caput quidem erectum tenere potuerit; poſtque trium menſium ſpatium loquelæ uſum recuperaſſe. Duæ aliæ conſimiles hiſtoriæ in binarum puellarum corpore obſervatæ apud citatum auctorem perleguntur. Scribit celebris *Germanus Azzoguidi*[17] Franciſcum Xaverium de Laſſone Medicum ordinarium Verſaglienſis noſocomii ſibi narraſſe, inoculationem in cujuſdam venuſtiſſimæ Virginis corpore cum omnibus cautelis peractam fuiſſe, ne ſpontaneis ſupervenientibus variolis ejuſdem nitor, atque formoſitas deturparetur. At nequaquam ſic evaſit; nam varioloſæ maculæ poſt tentatam inſitionem non apparuerunt, & miſerrima puella in infernis artubus, etſi plura adhibita fuiſſent medicamenta, toto vitæ ſuæ tempore paralytica remanſit ad perpetuum inoculationis ludibrium. Refert illuſtris *Kaſt*[18] infantem heparis abſceſſu ob materiei varioloſæ methaſtaſim in eo viſcere factam periiſſe. Inſitio igitur fruſtrà inſtituta

maximum

[17] Lettera ſopra il vajolo ſpontaneo, e ſopra i mali effetti dell'inoculazione Venezia 1782.
[18] Reflef. Sup. inocul.

maximum affert detrimentum[19]. Sæpiſſime fallacem eſſe variolarum præparationem abundè demonſtrarunt erudita *Ediburgenſium Acta*[20], *Van-Swieten*, *De Haen*, *Raſt*, *Kirckpatrick*, *Dimſdale*, *Azzoguidi*, aliique. Ergo ſemper periculoſum eſt nimis, atque adeo ſemper anceps eventus. In saniſſimo corpore, ut refert *Van-Swieten*[21], verno tempore poſt neceſſarias præcautiones adhibitas, ritè, probeque ſecundum leges a fautoribus inſtitutas a bono, ac ſelecto pure varioloſo excitantur variolæ peſſimæ confluentes, quas moleſtiſſimi furunculi ſequuti ſunt, ad quos ſanandos admodum incubuit celebris *Gaubius*, tota ſua arte, totaque prudentia. Nobiliſſimi comitis hiſtoriam narrat *De Haen*[22] inoculationis cauſa mortui: unicus is erat ſuperſtes filius familiæ. Variolæ quæ poſt inſitionem apparuerunt neceſſariis omnibus cautelis factam, fuerunt criſtallinæ, eædemque inconſtantes, cum perpetuo delirio, abdomine tenſo, atque inflato, denique cum ulcere inſitionis gangrænoſo; ita ut die decima quarta ab inoculatione, ab eruptione vero ſexta ſpes unica familiæ miſerrime occubuerit. Idem eventus hic in Urbe elapſis annis eſt obſervatus in duobus pueris a proprio patre medico inoculatis; pariterque obſer-

[19] De Haen ad Balthaſar. Lodovicum Tralles ad epiſt. Apolog. Reſp. quæſt. III.
[20] Part. III. n.
[21] In Boerhaave §. 1403.
[22] In apend. ad. Epiſt. Apol. Reſponſ.

vatum fuit in cujuſdam magnatis unico filio fuiſſe inoculationem fruſtra peractam ſine ulla variolarum æruptione, pertinacem produxiſſe gangrænoſum tumorem in femore non ſine magno pueri vitæ diſcrimine. Idem vero puer licet factus adoleſcens, ſemper tamen valetudinarius modo permanet, variiſque ſubjectus eſt ægritudinibus, & præſertim ſcorbutica labe inquinatus. Alia multa, ac varia horum fœnomenorum exempla Romæ vidimus, permultaque pariter in clariſſimorum virorum monumentis adnotata ſunt. In Helvetiæ academiæ Actis [23] legitur ex quatuordecim infantibus, qui menſibus Martii, Aprilis, & Maii anni 1754. inoculati fuerunt, tres, fruſtrà adhibitis omnibus cautelis, tempore harum cruſtarum delapſus febri miliari eryſipelatode cum ardore, rubore, & faciei tumore pruriginoſo fuiſſe correptos. Inoculatio, diverſimode conſtituta, diverſam ſemper faciem exhibet, ut *Tralles* [24] aſſeruit, difficilis eſt, bifrontis modo vultus blandiens, modo ſeverior, modo auſterior, contuetur. Quarè non ſolum Lugduni Batavorum, verum etiam in aliis Hollandiæ locis, inoculatio, vivente magno *Boerhaavio* numquam tentata fuit, ſed poſt ejus interitum, octodecim circiter annos, variolarum inſitio totis viribus propagari incæpit, quæ paulo

[23] Vol. III. p. 259.
[24] Vexatiſſima noſtræ ætatis de inocul. var. argum

poſt ſenſim decidit, adeò ut teſte *Van-Swieten*[25] fere oblivioni tradita ſit.

§. VIII. Semper inoculationis variolarum aſſeclæ immemores planè ac obliviosi ſunt illius *Galeni* præcepti: Hominem ſanum, ut in meliorem valetudinis ſtatum evadat, numquam ſubjacere ſe debere medicinæ legibus. Obſervavi in febrium intermittentium conſtitutione anno 1780.[26], a nobis jam alibi deſcripta, nonnullos, ſe ab hiſce febribus immunes fore, putaviſſe præpropero ſolum uſu peruviani corticis; at opinio eos fefellit: nam poſt non multos dies febres, quas pertimeſcebant apparuerunt. Neſcio itaque, quo jure quave conſcientia poſſint quidam medicinæ profeſſores conſilium, ne dum parentibus præbere, verum etiam eos conari ad inoculandos filios, parentes providos vocantes eos, qui eorum indulgent voluntati. Parentes autem nullam habent poteſtatem in filios, eos morbo exponendi eventu incerto, ut bonum expectent. Quanto enim dolore ii afficiuntur, dum tantam ſpem in hac tam fallaci methodo pro tuendis filiis, conſervandaque progenie cum jam poſuerint, inde tam miſere ab eorum oculis immatura nece correptos conſpiciunt! Sagaciſſimus Baro *Dimsdale*[27] rectè expoſuit, jus ac

[25] loc. cit.

[26] Diſſertatio de Morbis ab anno 1778. ad 1782. p. 93. ad 114. Ad Pium Sextum P. M.

[27] Oſſervazioni ſull' introduzione al piano d'uno ſtabilimento generale per l'inoculazione.

poteſtatem neminem habere in aliquem, cujus vita non eſt alicujus manibus ſubjecta, licet hominum ingens numerus per unius interitum ſalvus fieri poſſet. Numquam pariter perſuadere mihi valeo, quamquam multos fautorum conatus ſedulo pervolverim, corpus humanum perfectè conſtitutum, ac in optima valetudine ſervatum, arcendi, liberandique cauſa a variolarum periculo, inoculari poſſe, donec tutò ſemper ab eodem periculo immune evadat, licet ſæpè ſæpius epidemicæ ſæviant variolæ. Inoculatio igitur ad genus humanum facilius conſervandum, remedium non eſt per ſe tutum, ideoque non admittendum; quamvis celebris *Tiſſot* [28] aſſerere non dubitaverit, inoculationem ſecurum eſſe remedium, immo ab omni periculo eſſe præſervationem: quarè juxtà eundem non eſt rejiciendum. At *Van-Swieten*, [29] *De Haen* [30], & *Azzoguidi* [31] pulchrè aſſeruere longè plures artificiali, quam naturali affici contagio: immo *Belham* inoculationis acerrimus defenſor confiteri non erubuit mortalitatem Lugduni ſummopere adauctam fuiſſe, poſtquam inſitionis uſus acceptus fuit, ideoque ex dictis inoculationis ſiſtema non eſſe amplectendum.

[28] Inoculazione giuſtificata §. 61.
[29] In Boerhaave §. 1403.
[30] Quæſtion. ſuper Inocul. §. 111.
[31] Loc. Cit. p. LXVIII.

§. IX. Accidit interdum, ut corpus non ſit bene diſpoſitum ad inflammatoriam ſuſcipiendam affectionem, uti eſt illa varioloſa; idcirco ſæpiſſime fallaciſſima, quæve periculoſiſſima evadit. Inſitio utique evenit periculoſiſſima in illis præſertim corporibus, quæ fibram nimis rigidam, atque oſcillantem habent: At cogitandum fortaſſe ſemper non erit, quid peregrini, ac extranei humoris introductio in animatum corpus afferre queat? Inoculatio, quæ in ſano corpore per materiem varioloſam fit, jam optimam a fautoribus ſuppoſitam: nonne eſt hæc materies a corpore diverſo, diverſæ naturæ, indolis, atque temperamenti inoculandi deſumpta? Interim accidit inſitivam prophylaxim eſſe ſuppeditatam a corpore alicujus morboſæ affectionis infecto; & licet cogatur natura varioloſum icorem cohibere, atque compellere ad epidermidem in inoculati corpore, utplurimum tamen evenit naturam prorſus diſpoſitam non eſſe ad hujuſmodi immaturam ſuſcipiendam eruptionem. Quamvis dixit *Meadius*[12] melius eſſe ad ſubjecti inoculandi corpus incumbere, quam ad illud, a quo materies deſumitur varioloſa: immo nonnulli aſſerere minime dubitarunt, varioloſum icorem a variolis confluentibus, atque malignis ſine minimo periculi metu poſſe deſumi. Sicut ad morboſam ſuſcipiendam labem per inſitionem omnia idonea non ſunt tempera-

[12] De variolis, & morbillis Cap. de inoculatione.

menta ; ſeligere idcircò ſolent fautores ſanum, validumque temperamentum, florentem ætatem, anni tempeſtatem &c. Si quis, ut paſſim evenit, è viventium numero per inoculationem tollatur, multas ineptias, inſufficienteſque rationes pro ſua defenſione inoculationis patrocinatores in medium produnt. Certum eſt, ut experientia paſſim commonſtrat, per inſitionem aliorum morborum rudimenta in inſitiva varioloſa prophylaxi abſcondita corpori inoculandò communicari ſanè poſſe. Inoculationis patroni contrarium demonſtrant, ſtatuuntque nihil prorſus eſſe pertimeſcendum. At celebris *Guyot* [33] licet de felici inoculatarum variolarum eventu Genevæ ſcripſiſſet; attamen aſſeruit, ſe certum eſſe conſtanti, atque irrefragabili obſervatione hanc fautorum inoculationis ſententiam, nempe per inſitionem, non poſſe aliorum morborum communicari rudimenta, eſſe prorſus erroneam, atque fallacem. Narrat idem *Guyot* [34] quemdam, varioloſo pure puellæ ſerpigeni ſubjectæ, fuiſſe inoculatum, poſt variolas pertinaci, atque permoleſta ophthalmia fuiſſe exagitatum. Per inoculationem homines multas contrahere poſſunt morboſas affectiones, quis non videt? Quod variis experimentis comprobavit *De Haen* [35], variiſque obſervationibus confirmavit *Raſt* [36]. Inter alia,

[33] Acad. Royal. de Chirurg. Tom. II. pag. 556.
[34] Loc. Cit. Tom. IV. pag. 291.
[35] In Refutat. inoculat.
[36] Reflef. ſup. inocul.

ab eodem *Raſt* narrata, cujuſdam puellæ refert hiſtoriam, quæ frequenter per biennium hæmorragia uterina fuit obnoxia: deinde aſſeruit: *Urbs tandem univerſa vidit, novitque potiorem inoculatorum partem, haud dudum fuiſſe, aut adhucdum eſſe valetudines admodum dubiæ: ut in vultu livor, & macies abunde convincunt.* Dein ſic concluſit: *Unde nemo dubitare rationabiliter poteſt, ne inoculatores morbum contactu multiplicarint, variolaſque produxerint lethales.* Nequaquam comprehendere poſſum, ac ignorantiam meam ingenuè confiteor, cur contra quotidianam experientiam, tales, tantoſque patrocinatores, atque ſectatores habere potuerit inoculatio; ſed tantummodo cum Divo Auguſtino mihi dicere ſat erit: hæc eſſe magna majorum doctorum deliramenta.

§. X. Experientia fida rerum magiſtra cunctis quotidie demonſtrat, non omnes mortales neceſſariò ſubjectos eſſe variolarum incommodo, quod confirmarunt *Borellus* [37] *Van-Swieten* [38] *De Haen* [39] *Azzoguidi* [40] aliique innumerabiles medici: immò omnes unanimi conſenſu conveniunt vigeſimam quintam viventium partem a variolis naturalibus eſſe prorſus immunem [41]. At

[37] Centur. III. Obſerv. 10.
[38] In Boerhaave §. 1405.
[39] Quæſt. ſup. Inocul. §. III.
[40] Lett. Cit. p. LXXVII.
[41] Idem loc. cit.

pro certo compertum habemus, non æque ſemper corpus humanum diſpoſitum eſſe, licet numquam variolis detentum fuerit, ad varioloſam labem ſuſcipiendam. Vidit plures *Van-Swieten* [42], uti, & *nos*, qui variolarum epidemicarum tempore impunè ſe contagio expoſuerant, minime ea tactos fuiſſe infectione; ſubſequente impoſterum aliqua epidemica varioloſa conſtitutione fuiſſe aggreſſos, & quidem vehementiſſimè. Plures cognovi, qui è vita deceſſerunt, quin ab hoc morbo correpti fuerint, quamvis frequenter inter ægros variolis confluentibus coinquinatos permanſerint. Id ingenuè teſtari poterunt, qui nullo ſunt affecti innovationis ſpiritu.

§. XI. Longiſſime abeſt a vero, ut celeberrimi viri *Sydenamius*, *Boerhaavius*, *Tiſſotus*, aliique aſſerere arbitrati ſunt, hominem ſemel a variolis detentum, numquam in toto vitæ curriculo denuo correptum iri. Vidimus in variolarum epidemia anni 1783. plurimos, licet antea per duas vices fuerint a naturalibus variolis fœdatos, nihilominus tertio correptos, quas recidivas in pueris etiam inoculatis evenire compertum eſt, quod multoties quoque obſervavit *De Haen* [43] variiſque hiſtoriis confirmavit [44] dari poſſe variolas primas, & ſecundas, quod utique inſpexere *Diemerbroechius*, *Van Hoey*, *Veſterhoff*, *Velſe*,

[42] Loc. Cit.
[43] Ratio Meden. Tom. IX pag. 261.
[44] Idem Reſpon. ad Epiſt. Apolog. Tralles qu. 1.

De Haen, *Azzoguidi*, *Cæſar Mareſcotti* celebris Bononienſis medicus, & clariſſimus *Borelli*, qui ingenuè narrat, quamdam vetulam in toto ſuæ vitæ curſu ſepties coinquinatam fuiſſe variolis, & annum agens 117. iterum hujuſmodi infirmitate correpta miſerrimè deceſſit [45]. Quamquam contrarium demonſtrare ſtuduit *Tiſſot* [46], aſſeruitque pariter, ſi certum fuiſſet bis naturales evenire variolas in corpore humano, bis fore inoculandum. Frequentiores ſunt variolarum recidivæ in illis, in quibus inoculatio inſtituta fuit, quam in naturalibus, licet id in dubium olim revocatum fuit. Dari variolas naturales poſt inſitivas variis exemplis comprobavit citatus *De Haen* [47], inter quæ duo ſunt adnotanda, unum Domicelli Timoni, & alterum Franciſci Braggiotti. Obſervatur in epidemiis in illos redire confluentes variolas, in quibus inſitio jam peracta fuerit, & gravius laborare inoculatos, quam naturales. Id plurimis obſervationibus confirmatur a doctiſſimis medicinæ profeſſoribus, inter quos a *Timoni*, qui inoculationis fuit patrocinator. Narrat idem Coſtantinopoli annum admodum epidemicum fuiſſe, quo pejoribus ſubjecti fuerunt ſymptomatibus inoculati, quam naturales [48]. Nihil penitus igitur habenda erit præparatio quantumvis diligentiſſime inſtituta

[45] Azzoguidi loc. cit. pag. VII.
[46] Inocul. Giuſtif. §§. 21. 65. in nota.
[47] Loc. Cit. Quæſt. II.
[48] Cit. De Haen Reſp. quæſt. IX.

in corpore inoculandi. Scripſit *Raſt* [49]. "Inoculatorum illuminatiores fateri coguntur, inutilem quamcumque eſſe inſerendorum præparationem. Id jam patronorum hujus operationis ferviдiſſimus apud Gallos princeps conſeſſus eſt. Binis Domicellis Lugdunenſibus curatiſſime præparatis, variolæ contactu obortæ lethales fuere. Celeberrimus *Tralles* Breſlavienſis medicus idem infortunium in pluribus ægris eodem modo præparatis expertus eſt. Negari tamen non poteſt minores numero ab inoculatis variolis, quam a naturalibus mori, cujus hæc phyſica ratio eſt: arbitramur inſitivas inter naturaleſque eam intereſſe differentiam, ut diu fluat inſitionis vulnus. Ejus porrò ſumus ſententiæ, ut ejuſmodi ſuppuratio, veſſicantis ope in naturalium principio excitata nos æque raro, quam illas exhiberet lethales" In quam ſententiam deſcendit *De Haen* [50]. Fruſtranea inoculatio potiſſimum, ſi iterato ſit fruſtrata a naturalibus non liberat variolis, variis exemplis confirmavit laudatus *De Haen*, *De la Condamine*, & quamplurimi Lundinenſes Medici [51]. Egregius autem *Tiſſot* [52] firmiter aſſeruit atque defendit, nos, nec compeſcere valere aërem ſæpiſſime atomis varioloſis ſaturatum, nec illorum ſemper evitare

[49] Reflеſ. ſup. Inocul.
[50] Reſpon. ad Epiſt. Apolog. §. V.
[51] Idem Reſp. quæſt. IV.
[52] Inoculat. Giuſtific. §. 22.

conſortium, qui ſunt a varioloſa lue inquinati, nec in nobis hanc aptitudinem corrigere, quin noſtri alterentur humores. Non poſſumus ergo ſecundum memoratum *Tiſſot* variolas cavere. Inoculatio ex eodem ab hoc eximit periculo, quod abſurdum eſt, & naturæ legibus, & experientiæ maximè adverſatur; nam in conſtitutionibus epidemicarum variolarum in noſtra Urbe obſervatis annorum præſertim 1772. 1778. & 1783., iterum quamplurimi ex inoculatis naturalibus ſubjecti fuerunt variolis, quod ſimiliter in aliis conſtitutionibus obſervavit, ingenuè aſſeruit, ac propugnavit integerrimus *De Haen* [53]. Inter alias plures hiſtorias illam refert idem filiæ doctoris *Timoni* celeberrimi Bizantini inoculatoris, quæ a proprio genitore fuit inoculata, & poſt viginti annorum ſpatium, dum eadem puella aliorum infantium, qui variolis inſitivis decumbebant, curam agebat, his periculo ereptis, ipſa naturalibus variolis maxime malignis, atque peſtilentialibus affecta fuit, tandemque occubuit. Infauſtum, ac lacrimabile infortunium, refert *Azzoguidi* [54], cujuſdam nobilis Brixienſis puellæ, quæ in ſua pueritia fuit inoculata, ut immunis evaderet a naturalibus variolis. Benè ſe habuit in poſterum, adulta autem facta, & ad nuptias deſtinata, dum omnia parata erant ad connubia celebranda,

[53] Quæſt. ſup. inocul. §. IV.
[54] Loc. Cit. p. LXXXIII.

repente ſpontaneis variolis correpta eſt, ac e vita deceſſit. Concluſit tandem, ut ſupra diximus, citatus *De Haen* [55] obſervari naturales variolas poſt inſitivas, quod experientia duce nos quoque confirmamus in poſtrema elapſa epidemia nemini parcente & ſignanter in puero, qui cum nondum ſextum compleviſſet annum, inoculatus fuit; & licet opus feliciter evaſiſſet, tamen poſtea ſpaſmodico dolore in dextero genu continuè cruciatus eſt, & claudicare cogebatur. Abſoluto autem unius anni curriculo a variolis naturalibus tunc graſſantibus correptus: omnino a præfato permoleſto dolore liberatus eſt. At ex hucuſque dictis abunde patet inoculationem idoneam non eſſe ad immunes reddendos homines ab hoc flagello. Certum eſt igitur ex præmiſſis inoculationem, nedum eſſe inutilem, verum etiam generi humano omni jure pernicioſiſſimam.

§. XII. In vita plures ſervari, qui inoculati non fuerint, quam inoculati demoſtrarunt citati *Van-Swieten*, & *De Haen.* Quamvis contrarium fautores oſtendere conati ſint, voluerintque, quod ex naturalibus variolis ſeptimus moriatur, ab inoculatis vix milleſimus [56]. Sua methodo teſtatur *De Haen* [57] in epidemia Hagæ Batavorum biſcentum viginti unius dumtaxat periit. Vidit

[55] Loc. Cit.
[56] Idem quæſt. ſup. Inoculat. §. II.
[57] Reſponſ. quæſt. VIII.

pariter pauciſſimos admodum a variolis naturalibus correptos in Holandia mori adhibita a medicis optima medendi methodo : idem Viennæ, & in vicinis urbibus obſervavit laudatus *De Haen* ſub bonorum medicorum cura. Aſſeruit pariter omnium variolarum benignitatem, atque ſalutem pendere ab obſervationibus, præceptiſque *Sydenami*, & *Boerhaavii* [58]; malignitatem, & mortem ab imperitia curandi alibi *De Haen* [59] expoſuit. Idem de ſe, aliiſque teſtatur *Laberus*. Demonſtrarunt pariter citatus *De Haen* [60], & *Raſt* [61] aliique ex centum inoculatis duo treſve fere mori. Quod confirmatur ab experimentis tentatis in Senenſi urbe, & ab illis *Matij*, & aliis *Percival* [62].

§. XIII. At quiſquam fortaſſe dixerit in Romana epidemia labentis anni 1783. 2598. infantes mortuos vidimus, non numeratis illis, qui in noſocomiis interiere. At ſi iſti inoculati fuiſſent ultimum non ſubiiſſent excidium; Ergo inoculatio eſt ſummopere utilis ac neceſſaria ; ſic fautores argumentantur. Sed cum celeberrimo *De Haen* [63] reſpondeo : *mortem in variolis*

[58] In Theſaur. de Febribus p. 102.
[59] In vindiciæ Halleri Apolog. oppoſit. p. 21. 22.
[60] Refut. Inocul. p. 91.
[61] Refleſſ. ſup. inocul.
[62] Azzoguidi Lett. Cit. pag. LXII.
[63] Loc. Cit.

perverſæ curationi potiſſimum deberi. Quænam autem fuerit, genericè loquendo, curativa methodus a Romanis Medicis præſtita in hujuſmodi contagio? Fuit ſanè fallaciſſima, atque pernicioſiſſima; malum enim plus a medico, annuente magno *Hippocrate*, quam a morbo habuit originem. Multæ ſanguinis detractiones peractæ ante variolarum eruptionem non ſolum fuerunt, verum etiam ſi per epidermidem eruptæ, atque diſſeminatæ jam fuiſſent variolæ, uti etiam, ſi perexigua, atque lenta videbatur eruptio, nonnullis pertimeſcentibus medicis, quod variolæ conſuetum non abſolverent optatum curſum; ideoque cucurbitulas ſcarificatas ſuper variolas jam erumpentes, apponere non pertimuerunt, uti pariter veſſicantia femoribus, & brachiis, ſenapiſmata utique, aquæ gelidæ potum, etiam nive refrigeratum præſcripſerunt; aquas pariter antipilepticas cum liquore anodino minerali Hoffmanni, ſi convulſionibus vexati erant pueri, quæ convulſiones ſanè erant ſymptomaticæ non vero eſſentiales, aliaque calefacientia ſtimulantia atque acria remedia, quæ pernicioſiſſima eſſe in variolis pulchrè demonſtrarunt *Mortonus*, *Hallerus*, & *Tiſſotus*. Univerſale fere ſuppoſitum remedium in hac epidemia fuit repetita ſanguinis eductio, unanimi fere medicorum conſenſu, exceptis paucis; ideoque tam pernicioſa methodo 2598. pueri mortui ſunt. Quod ingenue comprobare poterunt veritatis amatores. Id demonſtravit quoque in Urbe *Jacobus*

Sinibaldi [64], voluitque methodum communem ſuis etiam temporibus in curandis variolis eſſe prima, vel ſecunda febris die ante eruptionem ſanguinem extrahere, regulam quidem ſæpiſſime fallacem, atque erroneam eſſe idem oſtendit. Biſcenties circiter curavi parvulos variolis epidemicis infectos, & neminem mortuum vidi, excepta unà tantum puerula anni unius, quæ periit ab inſultibus epilepticis frequenter exagitata, atque concuſſa, quia dentitio difficilis coincidit variolarum tempore. Curativa methodus a nobis in hac epidemia perpatrata ſimplex fuit ſine ulla venæ ſectione, atque medicamento; nam naturæ reliquimus onus ſolummodo expectatione, & obſervatione ut de hoc alibi multa expoſiturus [65]. *Bonum interdum eſt nullum adhibere medicamentum:* dixit *Hippocrates* [66]. *Origenes* [67] ſcripſit: *Medicus curat ægrotos, dum non curat.* Quibus ſane correſpondent *C. Celſus* [68] *Ballonius* [69], *&* *Valleſius* [70]. Immo *Harveus* in lucem edidit opuſculum inſcriptum: *Ars curandi*

[64] Parva Medendi Method. par. II Animad. XVI. *De variolis.*

[65] In altera diſſert. de Morb. ab anno 1783, ad 1787.

[66] De Articulis, & alib.

[67] In Philocal. Cap. XXI.

[68] Lib. III. cap. II.

[69] Lib II. Epidem.

[70] Method. Med. Libr. IV. Cap. I.

morbos expectatione: aliud *Wedelius de expectatione medica* : *Vater* tandem conſimile ſcripſit : *de curatione per expectationem* [71].

§. XIV. Tamquam corollarium ex dictis tandem deducimus, quod inſitio fruſtra inſtituta aptiſſima ſit ad producendas ophthalmias, tumores, furunculos, gangrænas, ſphacelos, eryſipelata, ſerpigenes, febres miliarias, uteri emorrhagias, paraliſes, ſpaſmos, violentas atque pertinaces convulſiones, ad deturpandam venuſtatem [72] tutoſque non reddendos infantes a variolis naturalibus contrahendis. Capax, atque idonea ſolummodo eſt inoculatio in aliquo peracta, epidemiam promovendi, & ſi eodem tempore epidemicæ ſæviant variolæ, adaugendi contagium; qua de cauſa multis in regionibus, atque provinciis prohibita prorſus fuit. Magiſtratus Hagenſis ob contagii metum publico decreto prohibuit, ne in illa urbe tentaretur inoculatio, uti peregit Lugduni Batavorum magiſtratus, illis præſertim in locis, ubi nemo variolis laborat. Inoculationem enim promovere, atque propagare contagium, experientia commonſtravit. Id obſervarunt *De Haen* [73] & *Raſt* [74] qui dixit : *Unde*

nemo

[71] Anno 1787. Bergomi doctiſſimus Joſephus Paſta non diſſimile edidit opuſculum inſcriptum : La toleranza filoſofica nelle malattie &c.

[72] Vide de Haen Reſp. quæſt. x. & Van-Swieten in Boerhaave §. 1403.

[73] Reſp. quæſt. VIII.

[74] Loc. Cit.

nemo dubitare rationabiliter poteſt, nè inoculatores morbum contactu multiplicaverint, varioláſque produxerint lethales : & *De Haen* [75] ſic ſcripſit "Ergo ratio demonſtrat inane commentum eſſe, quo contagii propagationem ab inoculatis ſtudent admovere. Et dum negant experimentum, dignentur refutare propoſitam ipſis a Domino *Whitte* hiſtoriam contagii ab inoculatione annis 1750. 1751. propagati; nec non eam lethalis contagii *Neuvrburgii* inde obſervati. Sed vox publica univerſæ *Galliæ* contagii hujus triſtes lugens effectus pro omni demonſtratione eſt". Inficiari igitur nequaquam ex dictis poterit variolas per inoculationem generatas contagioſum diſſeminare miaſma. Quamquam ſtatuerunt quamplurimi variolarum inoculationem omni ætate, anni qualibet tempeſtate etiam in variolarum epidemiis commendari non ſolum, verum etiam omni jure tuto inoculationem peragi poſſe. Abunde autem demonſtrarunt *Van-Swieten*, & *De Haen* hominem illum, qui a variolis reſurgit, licet in integram redierit ſanitatem, per aliquod tamen temporis ſpatium ſpirare contagium, quod alios, morbo hujuſmodi nondum infectos inficere valet; tempus autem juxta citatum *Van-Swieten* ad quod aptitudo illa permanet, quamvis nonam non excedat hebdomadam, non tamen ſatis inde patet, ut quid certi ſtatuere poſſit. Tandem *De Haen*, epiſtolæ

75 Loc. Cit.

apologeticæ ad *Tralles* ſcriptæ, finem impoſuit dicens: *Diſcant igitur ex hoc, pluribuſque aliis allatis in hoc opuſculo exemplis, quicumque de facienda inoculatione deliberent, quam frequenter contigerit, ut etiam cum optima cautela, & morali felicis eventus certitudine; variolæ inſitivæ, aut malignæ fuerunt, aut lethales:* & alibi ſcripſit[76]. *Videant ergo patroni inſitivæ methodi, quam ex ſuis ipſorum principiis hæc methodus noxia futura ſit generi humano!* Et *Van-Swieten*[77] concluſit his verbis: *An autem tale conſilium* (nempe inoculationis) *utile futurum ſit generi humano, quam maxime dubito.* De cujus ſententia non ſolum non dubitamus, ſed totis viribus eidem adhæremus, eamque defendimus.

§. XV. In tranſacta denique varioloſa epidemia multos obſervavimus benignis variolis fuiſſe detentos, raro confluentibus, ſi forte dum in eorum matris utero exiſtebant aut ſemel, aut bis, aut nunquam ipſarum genitricum venæ ſectio inſtituta fuerit: e contra vidimus, illarum prægnantium mulierum, quæ variis, ac repetitis phlebotomiis ſe ſubjecerunt, filios utplurimum variolis confluentibus fuiſſe correptos. Sanguinis enim in prægnantibus eductio abuſus eſt nimis damnoſus præſertim in illis, quibus ſingulo geſta-

[76] Quæſt. ſup. inocul. §. 11.
[77] Loc. Cit.

tionis menſe venæ ſectio inſtituitur; qua de cauſa tam frequenter Romæ abortum eæ faciunt, atque occumbunt in partu. *Hippocrates*[78] & dein ejuſdem aſſeclæ variis ætatibus venæ ſectionem prohibuerunt, & ſolummodo urgente ſumma neceſſitate approbarunt. Putant nonnulli has repetitas venæ ſectiones unam eſſe ex occaſionalibus cauſis confluentium variolarum in pueris; eodem enim tempore volunt, quo ſanguis e vena ſecta genitricis extrahitur, materiem parari aptam ad variolarum rudimenta.

§. XVI. At ponam hic methodum relatam ab *Azzoguidi*[79], quæ ad præſervandum humanum genus a varioloſa labæ proficua cenſetur, refellendo inoculationem. Sinenſes medici juxta *Kirckpatrick* ſequenti utuntur methodo jam relata, & ſummoere commendata a doctiſſimis viris *Harris*, & *Dieby*. Statim ac infans eſt egreſſus ex utero matris, abſcinditur funiculus umbilicalis, & ab eodem totus in eo contentus exprimitur ſanguis antequam prædictus colligetur funiculus. Hujuſmodi conſuetudo diu fuit neglecta, atque tamquam futilis a pluribus viris contempta. Denique nonnullis ab hinc annis optimo cum eventu ab oblivione celebris *Meldorff* in ducatu d'Holſtein excitavit, adeo ut impoſterum a Regali Berolini academia, uti admodum provida adprobata, at-

[78] Sect. v. Aphoriſ 31.
[79] Loc. Cit. a pagin. XLVII. ad l.

que commendata fuerit. Optimi effectus hujuſmodi præſervativi in præſens conſtanter Bononiæ ab eruditiſſimo *Fantini*, experti ſunt. Tandem meæ diſſertationi finem imponam cum illo *Quintiliani* effato : *Medicina ex obſervatione ſalubrium, atque iis contrariorum inventa eſt, & ut quibuſdam placet, tota conſtat experimentis.*